

ideo faciem tuam Domine quæro, opem tuam, ut iussisti, tribulatus imploro. Deinde vers 9. vocat se seruum Domini, & Deum dicit esse Deum salutis suæ. Et versu 10. dicit, se, cum etiam à parentibus omnium auxilio destitutus esset, à Deo collectum & assumptum esse. His itaq; fiducia orandi & impetrandi, ut flamma solet oleo, animus verè pius nutritur ac fulcitur. Illud quod dicit: Quoniam pater meus & mater mea deseruerunt me: non ita intelligendum est, quòd contemptus sit à parentibus, cum legantur illum ad speculam Adollam sequuti esse, & postea ab eo regi Moab commendati. 1. Sam. 22. sed quòd nullo pacto ab illis adiutus sit. Quid Augustinus ex eo loco colligat, vide libro de cura pro mortuis agenda, cap. 13.

Tomo 4.

OBSER.

1. Itaq; hoc loco videmus ingenium fidei tale esse, ut quàm ingenti licet & infracta sit fiducia & animi securitate contra insultus impiorum, omni tamen contemptu careat, & nihil minus quàm securè agat, sed anxie ad Deum pro auxilio oret.

2. Deinde, in eo quòd priore loco pro gratia & favore Dei orat, iramq; Dei deprecatur, admonet quid nobis primo loco inter orandum spectandum sit.

3. Et tertio, quod attinet ad immixta fidei argumenta, videmus quanti faciat bonitatem Dei, quam in illius promissione apprehendit, quàm fortiter illa nitatur. Item, quo loco habeat, cum ab omnibus esset desertus, à Domino se collectum esse aliquando. Item, seruum se Domini esse, Deumq; esse Deum salutis suæ. Ita nobis in exemplum præscripta sunt, ut & nos ad eum modum affecti simus.

PSALMVS XXVIII

PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

Etiam iste Psalmus animum exprimit in periculis constitutum, & ad Deum pro auxilio clamantem. Est itaq; oratio Davidis, tanquam capitis populi Dei, orantis pro auxilio contra hostes, non tam sui quàm populi sibi commisi gratia: id quod ex versu ultimo patet. Ex qua verò tribulatione ad Deum hoc Psalmo clamauerit, non liquidò patet.

VERS. I.



Ad te Domine clamo, petra mea, ne sileas à me: ne fortè deseras me, & similis reddar illis qui descendunt in foveam.

2. Audi vocem precessionum mearum, dum clamo ad te, dum attollo manus meas ad abditum sanctitatis tue.

3. Ne trahas me cum impijs, & cum operantibus iniquitatem, qui loquuntur pacem cum proximo suo, malum verò in cordibus eorum.

4. Da illis secundum opus eorum & secundum maliciam studiorum ipsorum: secundum opus manuum eorum da illis, redde talionem ipsorum illis.

5. Quoniam non aduerterunt animum ad opera Domini, nec opus manuum ipsius: destruet illos, & non edificabit eos.

6. Benedictus Dominus, quoniam audiuit vocem precessionum mearum.

7. Dominus fortitudo mea & scutum meum, in ipso fiduciam habuit cor meum, & adiutus sum: & exultat cor meum, & cantico meo laudabo eum.

8. Dominus robur est illorum, & fortitudo saluationum vncti sui ipse est.

9. Serua populum tuum, & benedic hereditatem tuam, & pasce illos, & erige illos in perpetuum.

LECTIO. Ne fortè deseras me.] Ebr. בן החשה במבוי. Græc. & vulg. Lat. Ne quando taceas à me. Sic & reliqui, de mpto Felino.

Vers. 1.

Vers. 2.

Ad abditum sanctitatis tue.] Ebr. אל רביר קדשך. Græc. & vulg. Lat. Ad templum sanctum tuum, Hieron. & Iustin. Ad oraculum sanctum tuum.

Vers. 4.

Studiorum ipsorum.] Ebr. מע לליהם. Vulg. Lat. Ad inuentionum ipsorum. August. legit: Et secundum malignitatem affectionum ipsorum. Pagn. Et secundum malum operum eorum.

Vers. 5.

Quoniam aduerterunt animum.] Ebr. כי לא יביט אל פעלת יהוה. Alij: Quoniam non intelligunt. Alij: Quoniam non intellexerunt. Rursus in futuro legunt alij: Quoniam non intelligent opera Domini.

Destruet illos.] Ebr. יהרסם ולא יבנו. Græc. & vulg. Lat. in secunda persona: Destrues illos, & non edificabis eos. Sic & Arabs, & Hieron. & Iustin.

Vers. 7.

Dominus fortitudo mea & scutum meum.] Ebr. יהוה עזי ומוצאי. Græc. & vulg. Lat. Dominus adiutor meus & protector meus.

Et exultat cor meum, & cantico meo laudabo eum.] Ebr. ריעלוד לבי ומשירי אחרודי. Græc. & vulg. Lat. Et restoruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Hieron. & Iustin. Gausium est cor meum, & in cantico meo confitebor illi.

Vers. 8.

Dominus robur est illorum.] Ebr. יהוה עז למרי. Græc. & vulg. Lat. Dominus fortitudo plebis suæ. Sic & Arabs. Hieron. Dominus fortitudo mea.

Vers. 9.

Serua populum tuum.] Græc. & vulg. Lat. addunt: Domine, quod non est in Ebræo.

Et erige illos. Ebr. ירשאו. Græc. καὶ ὑψωσας αὐτους. Vulg. Lat. Et rege eos. Hieron. & Iustin. Et subleua eos. Pagn. & Felix: Et extolle illos.

DIVI